

querimus. Porro Iustino seniori potius quam Iustino iuniori XL annos assigno, incipiens ^{a)} ab anno a passione Domini CCCCLXXXVI indictione IX., t u m quia sic sanctus Benedictus abbas, qui in temporibus illius principis virtutibus et miraculis claruit, inter que transitus ipsius de hoc mundo ad Christum non ultimum sed precipuum locum obtinet, sub eo quoque transiit, t u m quia in sequentibus annis Iustiniani VII. annus, qui est a passione Domini DXXXII., finis est primi magni paschalis cicli: et a sequenti scilicet VIII. anno eiusdem principis incepit suum paschalem cyclum Dionysius Romanus abbas, sicut plerique nostri cronografi et compotiste testantur, t u m quia facillime potuit obrepere scriptoribus, ut pro XL scriberent XI familiari et usitata ipsis negligentia, qua more Wasconum L pro I vel I pro L multotiens in signis numerorum commutata in veteri scriptura videmus. Quoniam vero in historiis quibusdam vulgatis scriptum ^{b)} invenitur sanctum Benedictum post heremiticam vitam sub temporibus Iustiniani principis in Monte Cassino, in loco qui ^{c)} dicitur ^{e)} Sublacus ¹³⁸⁾, doctrina et miraculis claruisse, si cui forte propter hoc potius videtur ut Iustino seniori XI anni et Iustiniano XXXVIII, deinde Iustino iuniori XL anni ascribantur, huic contentiose ^{d)} contraire non propono ^{d)}. Salva ^{e)} tamen pace et gratia ipsius magis credo divinis historiis, que asserunt Theodericum regem Gothorum in Italia et Hildericum regem Wandalorum in Affrica et imperatorem Iustinum seniore, non Iustinianum eius nepotem, Constantinopolim regnasse simul eisdem temporibus et sub eis sanctum Benedictum claruisse ac XII Kal. Apr. in vigilia pasche transisse de hoc mundo. Illi quoque non repugno, sed propius consentio. Non tamen prorsus aquiesco, si quis, forte non credens Iustinum seniore, tanto tempore scilicet XL annis regnasse, predictos XXXIII annos sic distribuit, ut Zenoni XVII, Anastasio XXXVII,

^{a)} folgt eos A. ^{b)} fehlt A. ^{c)}—^{e)} fehlt A. ^{d)} non contradico statt contentiose ... propono A. ^{e)} salva ... libro fehlt A. *Statt dessen heißt es:* sicut nec illi, si quis forte alio modo congruo tantum et probabili XXXIII annos annis predictorum VI imperatorum attitulaverit, nam si eos nimis credulus quibusdam modernis cronicis vel hic prorsus excluserit, vel passioni Domini preposuerit sicut illi, qui paschalem cyclum Dionysii a nativitate Domini inchoant, omnino evangelice auctoritati et catholice fidei repugnabit. Ut taceamus, quod si quis eos in hoc nostro tempore decidere cogitabit, sic videlicet, ut terminus paschalis, qui abhinc retro fuit in XXXIII anno, qui erat annus Domini MCVI, huic anno Domini MCXXXV aptetur, huic et celum et terra reclamabit, quoniam nec lunaris cursus nec usualis compotus ei conquiescit ullo modo.

¹³⁸⁾ Heimo wirft hier Subiaco und Monte Cassino zusammen.